Dominica III. post Pascha.

Ad Missam.

Oratio.

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redire justítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: ☩ da cunctis qui christiána professióne censéntur, et ílla respúere quæ huic inimíca sunt nómini; * et ea quæ sunt apta sectári. Per Dóminum.

2. de S. María. - 3. pro Ecclesia vel pro Papa.

Lectio Epístolæ beati Petri Apostoli. *I. Petr. a. b.*

Caríssimi: Obsecro vos tamquam ádvenas et peregrínos abstinére vos a carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsus ánimam, conversatiónem vestram inter Gentes habéntes bonam: ut in eo, quod detréctant de vobis tamquam

de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes, gloríficent Deum in die visitatiónis. Subjécti ígitur estóte omni humánæ creatúræ propter Deum: sive regi quasi præcellénti: sive dúcibus tamquam ab eo missis ad vindíctam malefactórum, laudem vero bonórum: quia sic est volúntas Dei, ut benefaciéntes obmutéscere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam: quasi líberi, et non quasi velámen habéntes malítiæ libertátem, sed sicut servi Dei. Omnes honoráte: fraternitátem dilígite: Deum timété: regem honorificáte. Servi, súbditis estóte in omni timóre dóminis, non tantum bonis et modéstis, sed étiam dýscolis. Hæc est enim grátia: in Chrísto Jesu Dómino nostro.







✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joann. 1-. b.*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Módicum, et jam non vidébitis me: et íterum módicum, et vidébitis me: quia vado ad Patrem. Dixérunt ergo ex discípulis ejus ad ínvicem:Quid est hoc, quod dicit nobis: Módicum, et non vidébitis me: et íterum módicum, et vidébitis me, et quia vado ad Patrem? Dicébant ergo: Quid est hoc, quod dicit: Módicum? Nescímus quid lóquitur. Cognóvit autem Jesus, quia volébant eum interrogáre, et dixit eis: De hoc quǽritis inter vos quia dixi: Módicum, et non vidébitis me: et íterum módicum, et vidébitis me. Amen, amen dico vobis: quia plorábitis, et flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepérerit púerum, jam non méminit pressúræ propter gáudium, quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis, íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Credo.



Secreta.

His nobis, Dómine, mystériis conferátur, quo terréna desidéria mitigántes, discámus amáre cæléstia. Per Dóminum.

***2.** de S. María. - **3.** pro Ecclesia vel pro Papa.*

Præfatio Resurrectionis.

Postcommunio.

Sacraménta quæ súmpsimus, quǽsumus Dómine: et spirituálibus nos instáurent aliméntis; et corporálibus tucántur auxíliis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

2. *de S. María. -* ***3.*** *pro Ecclesia vel pro Papa.*